



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quomodò excitandi sint amici ad mutuum amorem. Cap. IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)



tur, qui proprijs cōmodis omnia non metiatur, & publicis commodis priuata non antepōnāt: amare patriam, est bene velle patriam, bonam & beatam illam cupere, atq; præclaris legibus & honorū omnium generibus cumulata. Quare qui adulationibus, qui blanditijs in animos illorum, qui præfunt, illi student; qui nouis sumptibus & pompa se alijs præferūt, & equalitatem tollunt; patriam corrumpunt, non amant. Ostendendum est, Urbem Romanam communem omnium Christianorum esse patriam, in qua est sita sacrosancta Sedes Apostolica, pro qua vel mori pulcherrimum, & honestissimum est. Accommodare poterit hæc orator hominibus in oppidis, et etiam ruri habitantibus, & dicere, inde cognosci, si quis oppidum aut villam, in qua natus est, diligat, si Ecclesiam parochialem ornare studeat, si puerorum curam habeat, ac si filij essent; si res communes rectè administret: mortuos esse pro patria multos apud Romanos commemorabunt: multo æquius esse, mori pro defensione religionis, & multo optabilius nobis, qui vitam expectamus æternam.

Quomodò excitandi sint amici ad mutuum amorem.

Cap. IX.

**I**NTERDV M excitans amicos, hoc est, homines ætate, moribus pares, electione inter se coniunctos, ut se verè diligant, hortetur: caueant, nè se mutuò blandis vocibus amicos & fratres appellantes, odio habeant: nè domestici sint inimici, animarum suarū interfectores; sanctum nomen esse amicitie, consensionem animarum in sancta religione, in amādo Deo, in Christianis virtutibus exer-



exercendis. Qui idem volunt, cum volūt ea, qua legi Dei aduersantur, inimici rectius appellandi sunt, quā amici; volūt enim sibi inuicem mala, cum turpissimarū voluptatum conscij et administri sunt: cū vsuris enecāt homines, cum semper laudant, vt placeant, non corrigunt, nē displiceant. Exclamabit aliquandō, nomen amicitiae ē Rep. Christiana, tāquā in exilium missum: illos etiam, quos sancta mater Ecclesia coniūctissimos esse vult, quos compatres nominat, nullam filiorū communium curam habere: ad licentiam, ad multa plerunque peccata, sanctam illam coniūctionem adhiberi solitam: commemorabit etiam, eorum cor vnum in Christo esse debere, & omnia habere communia, fidem, spem, charitatem, participationem sacramētorum, delectari iisdem ieiunijs, eisdem orationibus, lectione eorundem sacrorum librorum.

Qua ratione excitandi sint auditores ad resignationem in Deum, & ad zelum.

Cap. X.

**O**RATORIS Ecclesiastici erit, ad resignationem in Deum auditores excitare, vt colat et omnes suas spes in benignissimo illo mundi & bonorum omnium parente Deo: nihil deesse volatilibus caeli, multo minū necessaria Christianis, qui fratres domini, filij Dei adoptiui, heredes futuri caelestis patriae sunt, nullo vnquā tempore defutura: vt imur hoc nomine resignationis, donēc magis proprium occurrat, quae est affectio lenissima, & tranquillissima animi à diuino amore profecta: qua quis diligēs Deum, confidit, nihil sibi defuturum, nihil cupit, nihil